


XII



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

ACIDI ET SALSI VSV DIAETETICO

QVAM
SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOS. NATVRAL. PROFESS. PVBL. ORDIN.
IMPERIAL. ACADEM. NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PATRONO AC PRAECEPTORE PIE COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. XXV. IVLII. A. S. R. MDCC L.

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS FEIST,

BLEICHERODA - HOHENSTEINENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

DISSESTITO IN MAGNARIA MEDICIS

DE

ACIDIT ET SALT VIA DIETETICA

64 M

246 ASTRALICUS SUMMI NUMINIS
COSSENZA GRATIOSAE PACIFICATRIS MEDICE
PRABRUDIE
HUGO LIPSIENSIS ET EDITIONALIS

DOMINO
D. ANDREI ALBONINIO

SACRA ROMANAE IMPERII NOBIS
TOTUS EST HOC OPERA
TUTA ET HONORATA
INTERIORUM ET EXTERIORUM
ET CETERA VITIA VITAM

PROGRADIA DOCTORIS
SACRA IN MEDICINA HONORIS HONORUM
TOTUS EST HONOR ET GLORIA

FRIEDRICHÆ FEST
FRIDERICI - HONORIS ET HONORUM

ET IONNAE CHARTIANI HILIGERI
TOTUS EST HONOR ET HONORUM



DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE
**ACIDI ET SALSI
VS DIAETETICO.**

PROOEMIVM.



Nobilissima illa, quam *Diaeteticam*
vocant, scientia, tot modis tan-
taque se dignitate Medico
commendat, ut ipsi arti mor-
bis medendi, si non anteferen-
da, aequiparanda tamen videatur. Quid enim
facilius, quam morbis vix nascentibus occur-
rere? cum difficillimum, ne dicam saepius
impossibile sit, illos, postquam firmas iam ra-

A 2

dices

264

dices egerunt , penitus tollere. Leues enim plerumque sunt causae , ex quibus morbi originem trahunt , leuemque vt plurimum postulant medelam , & quidem vix aliam , quam rerum non - naturalium vtum legitimum , illique absui contrarium , qui morbum produxerat . Valet hoc in primis de cibi potusque generibus , in quorum delectu Medici vt plurimum nimis scrupulosi esse , atque saepius improbare vindentur , quae sunt maxima sanitatis praesidia , longe aliter iudicaturi , si CELSI , antiquissimi Medici , consilium , in ratione & experientia fundatum , accuratius perpenderent , quod ita se habet : *Sanus homo , qui & bene valet , & suae spontis est , nullis obligare se debet legibus , & varium habere vitae genus , modo ruri esse , modo in urbe , saepiusque in agro , nullum cibi genus fugere , quo populus vtatur , modo plus iusto , modo non amplius adsumere , sic vivere , ut numquam idem diu obtineat .* Sicut enim omnis virtus , ultra naturales fines extensa , vitii nomen meretur ; sic quoque regulae diaeteticae , nimis rigorose obseruatae , contrarios saepius edunt effectus , & euadunt debilitatis , morborum , ipsiusque mortis saepius foecundae matres . Cuius rei memorabile exemplum BOERHAA-
VIVS

VIVS refert de Medico, qui secundum SANCTORII staticas regulas vitam ordinauerat, viuebatque pusillam, sed sanam hac ratione vitam. Leuissimo vero contactu aëris minus salubris perculsus idem, praedixit se moriturum, stetitque promissis. Excessum talem nimii rigoris diaetetici, præcipue circa *cibos acidos saljosque*, in scholis Medicorum occurrere cum obseruauerim, resque innocentissimas damnari, quae pro donis diuinitus concessis & recto usu saluberrimis habenda sunt: non inutilem & superuacaneum laborem mihi suscipere vius sum, si *saljos acidosque cibos* pristinae restituuerem dignitati, atque simul, ut aequum iudicem decet, indicarem, qua ratione noxam corpori inferre functionesque laedere possint. Elegisse mihi hac ratione videor thema Dissertationis inauguralis iucundum pariter ac utile. Faxit diuinum, quod veneramur, Numen, ut etiam hi conatus & primitiae academicae cedant in eius gloriam verumque generis humani emolumentum.



§. I.

*Salium diui-
sio.*



Sal esse corpus in aqua solubile, quod linguae impositum solutumque gustum afficit, neminem existimo fore, qui in dubium vocare possit, nisi Chemiam sciat cum ignarissimis. Quamquam autem satis ingens salium, tam arte paratorum, quam quae ipsa natura e largissimo sinu abunde produxit, deprehendatur diuersitas: ad tria tamen summa genera merito revocantur a naturalis historiae doctoribus artisque spagyricae peritis. Sunt enim *vel acida*, *vel alcalina*, *vel media* sive *salsa*. Optima methodus, haec tria salium genera a se inuicem distinguendi illorumque notionem, quamvis non distinctam, (distincta enim in re, quae sensibus immediate percipitur, exhiberi vix potest,) claram tamen excitandi, est procul dubio ipse gustus. Diuidunt porro per ignem Philosophi salia in *volatilia* & *fixa*. *Volatilia* vocantur, quae determinato caloris gradu in auras abeunt & in vapores conuertuntur, quod in quibusdam

dam facili negotio, in aliis difficilius effici potest, cum e contrario fixa sub quolibet caloris gradu immutabilia maneat, quamvis tamen summus eiusdem gradus, qualis est speculi caustici, huiusmodi etiam salia vel volatilia reddat, vel eorum naturam adeo inuertat atque immutet, ut salia amplius dici vix mereantur, cum in aqua solubilia non existant, sed cum terra in vitrum coalescant & adeo arctam ineant coniunctionem, vt cognita nulla huc usque arte ex vitro in pristinam formam redigi potuerint. Possemus etiam non inepta diuisione salia in *animalia*, *vegetabilia* & *mineralia*, diuidere. Licet enim certo certius sit, sal omne esse vel acidum, vel alcalinum, vel medium, insignis tamen differentia inter salia ex triplici regno desumpta, etiam si unius sint generis, deprehenditur, sicuti salia ex eodem regno desumpta eiusdemque generis, miris tamen inter se modis discrepant; non inutilem esse & superuacaneam hanc salium, secundum triplex naturae regnum, diuisionem, ex diversa ipsorum in corpus humanum operatione luctulentissime adparet. Attenta enim obseruatione discimus, plerumque magis naturae amica esse ea, quae ex animali, quam quae ex vegetabili, & magis quae ex vegetabili, quam minerali regno petuntur, salia. Neque id mirum, cum salia ex ipsis animalium partibus parata faciliorem communionem cum humoribus nostris ineant, & specificam illam, neque facile explicabilem animalis corporis indolem, iam contineant, non reperiundam in corporibus ex alio quodam regno paratis. Sic ex lacte humano praeparari potest

poteſt ſal in aqua facile ſolubile, dulce, ſaccharo ſi-
mili, naturae humanae amicifſimum, & ipſi ſac-
charo ex arundine parato merito anteferendum.
Quoniam vero difficultas, modique ſalia talia para-
di ignorāntia, & ipſa denique conſuetudo, ſalia po-
tius ex regno vegetabili orta hominum uſibus ac-
commodeauit: ideo non immorabor specificae ſalis
animalis in corpus humanum actioni, quamvis per-
ſuasim, ſaccharum eiusmodi, ex fano foeminae
lactantis lacte paratum, aeque tutum ac iucundum
fore, in morbis a lymphae inprimis vitio seu hu-
morū acrimoria pendentibus, remedium. Quare
ferio optandum eſſet, ut Medici, Chemiae admini-
culis inſtructi, diligentius in huius ſalis proprie-
tares inquirerent, ipſoſque illo frequentius vterentur
in praxi. Quid enim praefantius eſſe potest re-
medio ex ipſo corpore humano petito, blando, na-
turae familiari, quodue vix vel ipſo abuſu nocere
poteſt? Ad ſalia ex regno minerali deſrompta quod at-
tinet, ſola acida, vix tamen, niſi a Medico comen-
data, quod quidem rariſſime, ſi vñquam, fieri ſoleat,
ad cibos potuſque adhibentur. *Salia etiam effen-*
tialia vegetabilium, & alcalina, non in culina, ſed in
pharmacopolio quaerenda ſunt, quod Germani non
inepte die lateinische Rüche vocant. Non conſtitui-
mus iam apud nos omnia ſaliū pertractare genera,
multo minus in eorum species ſpecierumque ſubdi-
uisiones inquirere, ac illorum proprieſtates chemicis
demonſtrare & illuſtrare experimentis, quamui ſtal is
inquisitio non ad inutiles vanasque ſpeculationes &
centies iam ſuceptos conatus pertineat, crambemque
bis

bis coctam resipeat. Ad illa tantum salia respiciam, quae & v̄su recepta, & diaetetico potius, quam therapeutico scopo adhibentur, ad quae in primis iure meritoque sal *acidum & medium* pertinent. Alcalina enim, nisi in herbis, praecipue antiscorbuticis, contenta, mensis adhiberi non solent. Initium ergo huius tractationis faciam a *salis acidi* consideratione, periculum facturus, an praeiudicatas circa hoc sal plerorumque hominum ipsorumque Medicorum opiniones refellendo, praestantissimum hoc naturae donum honori debito restituere possim, quod illi praecipue, qui anxia sanitatis vitaeque conseruandae cura detinentur, maximo sui detimento, cane peius & angue plerumque fugere solent.

§. II.

Acida, quae cibo potuique inseruiunt, ordinarie *Acidorum* neque ex minerali, neque ex animali petuntur regno, sed potius iis homines contenti vivunt, quae vegetabile regnum vel sponte subministrat, vel quae ex vegetabilibus, fermentationis in primis ope, parantur, cum acida regni mineralis therapeutico potius scopo in usum trahantur, quo in primis pertinet oleum & spiritus vitrioli, spiritus sulphuris, salis, nitri & aluminis. Abhorrent a talibus artis coquinariae periti & matres familias, quoniam venena illa esse existimant, quamquam aqua sufficienter dilutus eiusmodi spiritus acidi nullam noxiam vel deleteriam & corrosiunam in corpus humanum exerceant operationem, sed potius ad moderandum nimium sanguinis orgasmum, calorem temperandum fitim-

B

que

que restinguendam, sub febri praefertim calore, saepius non sine fructu a Medicis adhibeantur. Non quidem is ego sum, qui hunc modum reprehendere possit vel velit, sed, fateor, me non perspicere, cur potius ad acida ex regno minerali, quam ad acida vegetabilium in eiusmodi casibus confugiendum sit, cum euictum & quotidiana experientia comprobatum sit, vegetabilium partes naturae humanae magis amicas esse & facilime in fluidorum corporis nostri indolem permutari posse, cum mineralia hanc permutationem & cum fluidis oeconomiae nostrae coniunctionem fere semper respuant, quoniam durities, rigiditas & pondus partium, viribus corporis humani nimium resistunt.

§. III.

*Acidorum
vegetabi-
lium diuisio.*

Acida vegetabilium naturali aliqua diuisione distinguntur in talia, quae *natura sponte*, & quae *ars* per fermentationem produxit. Ad primam classem pertinent succus citri, cydoniorum, acerose, cerasorum, fragorum, rubi idaei, ac plerorumque reliquorum fructuum horaeorum. Ad acida vegetabilium artis ope parata in primis vina acida & ipsum acetum, ex vino, cereuista, vel alio vegetabili liquore paratum, referri merentur. Acida, quae sponte in vegetabilibus nascuntur, vel adstringentis sunt indolis, vel non. Adstringente tali proprietate conspicui sunt fructus immaturi & succus cydoniorum. Oportet etiam in his ad adstringentem virtutem semper respicere, unde consequitur, non sine emolumento talia adhiberi posse, (modo exces-

excessus euitetur,) vbi ventriculus & intestina atonia laborant. Et cum ipsum quoque sanguinem, mediante chylo, ingrediantur, pari vtiue ratione ad restituendum reliquarum fibrarum tonum deperditum apta existent, quod in primis de cydoniorum succo dici meretur, itemque de aliis fructibus maturis & subadstringentibus ; immaturos enim vix suaserim, cum qualitas adstringens plerumque modum exceedat, vnde intestinorum constrictiones, vasorum lacteorum obstructions, tenacis & viscidi muci coaceratio, flatum generatio, abdominis intumescencia & durities, reliqui corporis atrophia febresque intermittentes non raro originem trahunt.

§. IV.

Repetita fermentatione vini, vel alias vegetabilis liquoris, acidum generatur, quod *acetum* vocamus. Nulla in hoc inflammabilis principii, vt in vi no & cereuisia, deprehenditur praesentia, sed ignem potius extinguit, nec vñquam inflammam conuertitur. Peritissimi Chymicorum exigitant, & recte, me quidem iudice, acetum nil esse, nisi tartarum volatilem aqua dilutum. Hoc omnino certum est, acetum volatilius esse reliquis acidis vegetabilibus non fermentatis. Fieri inde solet, vt, praeter consuetam acidii efficaciam, transpirationem, quam vocant insensibilem, mirifice promoueat, eoque fine anteferri mereatur acidis vegetabilium non fermentatis, hac virtute vel plane defititus, vel tanto saltem gradu non gaudentibus. Quare in peste, morbis contagiosis, aliisque putredinosam humorum conditionem

Aceti efficacia.

pro fundamento habentibus, vbi non solum ad veneni correctionem, sed etiam felicem expulsionem respiciendum est prudenti Medico, acetum vini fixioribus acidis merito antefertur. Ipsa quoque experientia, optima rerum omnium magistra, docuit, non esse certius atque salubrius crudelissimae pestis antidotum aceto vini, & interne usurpato, & externe ad corrigendos noxios putridosque aëris effectus, sub vaporum & exhalationum forma, exhibito. Testatur idem hoc BOERHAAIVS, in Praelect. acad. Tom. IV. pag. 375. hisce verbis: *Quando venenum pestis, per aërem obvolitans, eius naturae est, ut gangrenas excitet, spargendum per aedes acetum & spongeae aceto ebriae sub naribus tenendae: ita nullus aër hauritur, nisi conditus acidis vaporibus.* Hinc etiam pyrius puluis accensus hic valet; dum enim deflagrat, parantur subito volatiles acidissimi spiritus nitri & sulphuris, qui totum aërem late replent. Noni familiias praeservatas fuisse in pestilentia, dum aliquoties quotidie drachmam pyrii pulueris in testa, clausis fenestris foribusque, incenderunt. Puteus, qui multos operarios Parisis necaverat, iniecta sphæra pyria (Hand-Granate) purificatus fuit. Et camera, in qua sulphur ea copia combustum fuit, vt tussi mota non noceat, certe tutos in peste praefstat. Merito ergo in peste nomen suum τε Θεὸς meretur sulphur, quo ab HIPPOCRATE ornatur.

§. V.

De acidis fixioribus. Inter fixiora acida vegetabilium eminent *acidi-*
ciri, seu carnis mali medici, quo nomine usi
fue-

fuerunt ipsi Veteres Medici, elegantioribus literis ornati, & per illud intellexerunt internam pomorum citri, quae acidum saceum continet, partem. Veneranda nobis est naturae dexteritas summi que Numinis prouidentia, quae in terris calidioribus largissime prouenire iussit fructus acidum succum continentis, cum septentrionales regiones plantis magis alcalefcentibus abundant, quod vel ex largissimo herbarum antiscorbuticarum prouentu patet. Calor enim nimius atmospherae fluida corporis humani non solum expandit, sed etiam ad putredinem disponit, quam tot motibus auertere tantisque moliminibus praecauere conatur, tristi sensatione admonita, quamvis ipsius malii eiusque caufae inscia, natura. Utique resistit acidum. Notum enim est, acidum sanguinem compingere ac condensare; quid vero id aliud est, quam nimiam impeditre expansionem? Facili haec acidorum efficacia comprobari potest experimento, si sanguini vel lymphae acidum admisceas: Coagulatur enim inde uterque liquor, vel saltem viscidior evadit, luculento testimonio, partes eius propius ad se inuicem accessisse auctumque esse punctorum contactus numerum. Fortius, fateor, tale est coagulum, si acidum minerale, quam si vegetable adhibetur, & minus forte adhuc suspicor, si acido ex partibus animalium parato vtaris. Condensatur tamen sanguis in omni casu, neque impetrare a me potui, vt cum summis in arte viris, inter quos vel solum BOER-HAAVIVM nominasse sufficiat, crederem, acetum sanguinem non condensare, sed potius attenuare &

diluere. Fortasse enim, quae ipsis visa est, attenuatio soli aquae, in acetō contentae, adscribi debet, cum communis acidorum proprietas esse videatur illa virtus, animalium fluida in angustius redigendi spatium.

§. VI.

Acidi salubritas.

Laudem quoque propterea meretur acidum, quod adpetitum mirifice augeat & fibras ventriculi stimulando languentem excitet ventriculum, in quo cum sale medio fere conuenit, quod eadem virtute conspicuum esse, quis est, qui ignoret? Fieri inde solet, ut qui ab hesterna crapula male habent, adpetitu carent, nausea, cruditatibus & borborygmis vexantur, ad acidos falsosque cibos, tamquam ad sacram anchoram, confugiant, quo nomine ferulum illud, quod germanice einen Sardellen-Sallat adpellant, ob insignem efficaciam, soli acido sali & marino debitam, notissimum est.

§. VII.

Acida putredini resistunt.

Primarius acidorum usus, qui efficit, ut vix dentur, quae ipsis comparari possint, in eo consistit, ut putredini potenter & fortiter resistant. Ex chymicis enim notum est fundamentis, sub putrefactione sal generari alcalinum, & salia alcalina, carnis in putredinem ruentibus adiecta, hanc ipsam mirifice promouere & accelerare. Huic generationi salis alcalini ordinarie sal acidum, quod alcalino facile iungitur, atque sic eius volatilitatem impedit, fortissimum ponit obicem, illudque retinendo efficit,

cit, ne motus intestinus, a sale alcalino excitatus, eo progrederiatur, ut putrefactio, quae in partium intestino motu & separatione consistit, augmentum capere possit. Quotidiana id euincunt experienta, quibus carnes a putredine seruari discimus affuso acetō. Videamus igitur quid inde porro sequatur.

§. VIII.

Quoniam acida sanguinem condensandi facultate gaudent, sequitur inde, optimo cum effectu eadem exhiberi, si sanguis orgasmo nimio & calore commotus fuerit. Haec frequenter contingunt aestiuo tempore, sole feruente. Quid igitur salubrius esse potest, quam si ad calorem nimium contemperandum, immoderatamque sitim restinguendam, acidi cibi & potulenta acidulata adsumuntur? Salutari consilio ipsa natura aestiuo tempore, confusa sensatione excitata, acida suadere videtur, quod etiam in eiusmodi morbis fieri solet, in quibus humores nimio motu exagitati exaestuant, sub aestu nempe febrili, quo vigente aegroti spontaneo ad acida ferruntur adpetitu. Quidni igitur naturae ductum sequamur, & sub febrilibus commotionibus, praesertim sub caloris paroxysmo, exhibeamus acida, tam ad restinguendam sitim, quam ad sanguinis orgasmum contemperandum aptissima ac saluberrima?

§. IX.

Obiicis, quod sitis mitigatio & ebullitionis contemperatio nil sit, nisi symptomatum curatio; sed *Vsus acido-
rum in peri-
culoſiſſimiſ
morbis.*

cogites quoefo symptomatum saepius mitigationem ad ipsius causae morbi remotionem faciliorem pandere viam. Non solum vero angustis his limitibus circumscribitur acidorum in corpus humanum actio, sed potius in morbis quibusdam acutis & maxime periculosis praestantissimum afferunt auxilium, & aptissima existunt ad ipsius mali eiusque caussae plenariam extirpationem atque eradicationem. Notissimum enim est, periculosissimos eos merito vocari morbos, qui ex putredinosa humorum & sanguinis corruptione enascuntur, quod de pluribus valet, quam de *febre illa synocha*, quam *putridam* propterea vocarunt, quoniam putredinis humorum manifesta signa exhibet. Praeclare falluntur, qui ad digestionem iuandam remedia alcalina, illis alioquin, qui acido in ventriculo abundant, saluberrima, in eiusmodi morbis exhibent. Augent enim hac ratione putredinem, ad quam humores iam nimium inclinant, oleumque sic igni adsundendo mortem accelerant. Multo prudentius & consultius agunt, qui, ductum naturae secuti, sitim, aestum & putredinem moderato acidorum usu compescere & cohibere tentant. Conuenit ex eadem ratione & suadendus est crebrior aceti & acidorum usus hominibus, qui in aëre, putridis vaporibus repleto, vivunt, vel cum animalibus maestatis multum negotii habent, quo pertinent laniones, illi, qui pelles animalium praeparant, et qui in dissecandis corporibus humanis laudabili solertia occupati, & diuino quasi afflatu impulsi, ad intima machinae incomparabilis artificia detegenda in putrido semper aëre versantur anatomici.

mici. His acida alimenta & potulenta erunt verum antidotum. Casu rem illustrabo, a viro fide digno mihi relato. Quidam Americanum proficiscebatur. Excessivus aëris calor & potus aquae putrescentis febrem ipsi accenderant putridam vehementissimam. Vix ad Americae littora peruererat, cum, insolito acidorum appetitu commotus, insignem pomorum Citri comedeter copiam. Vsum excipiebat profundus somnus cum largo sudore, quo superato animi corporisque vires redibant, morbumque acido quasi iugulatum esse comprobabant. Restituebatur sic homo, qui mortuus sine dubio fuisset, si alcalina adhibuisset medicamenta, nec satius duxisset naturae consilio & appetitui spontaneo, quo in acida ferebatur, obtemperare. Alcalina enim non possunt non sanguinem, putredine iam resolutum, magis adhuc resoluere hacque ratione ipsam illam putredinem augere & accelerare. Remedia enim talia alcalinae prosapiae, quae in malo hypochondriaco, chlorosi, lue venerea, aliisque morbis, ab acida humorum dyscrasia proficilcentibus, utilitate conspicua sunt, non possunt non in morbis, ubi sanguis nimio motu exagitatur & ad putredinem pronus est, tanquam venena considerari, a quibus merito abstinet prudens & peritus in arte Medicus.

§. X.

Non solum in febribus putridis ipsaque putrida *Vrilitas aciddissima omnium, peste,* salutaris est acidorum usus, *dorum in* sed in omnibus, ubi calor nimius urget; hinc etiam *lentis febribus in febribus intermittentibus* sub calore febrili, si *febrilis* nilia

C

nilia quaedam subiecta excepitis, praecipue quarta-na laborantes senes, quos frigus potius, quam calor vexat, & qui, si sub febre perierunt, plerumque sub paroxysmo frigoris occubuisse leguntur. Praecipue vero in *febribus lentis & hecticis* fructus, qui acidum succum recondunt, commendari merentur, inter quos cerasa matura, fructus rubi idaei & fraga inpri-mis referuntur. Non enim tantum symptomata mi-tigant, sitim aestumque contemperando, sed blandis quoque vasa succis replendo, humorum corrigunt acrimoniam, stimulumque infestum sic reprimendo, ipsum non raro morbum, si non iugulant, refraenant tamen, praecipue si in tempore adhibeantur; cum e contrario eiusmodi aegroti, medicamentis spirituo-sis, commouentibus & sudoriferis tractati, morbi quotidianum incrementum persentiscant, atque breui tempore in mortiferos illos colliquatiuos sudores praecipites ruant. Liberatos tales esse a lentis inpri-mis febribus, solo cerasorum subacidorum vsu, expe-riencia docuit, quemadmodum etiam, felici cum suc-cessu, in eiusmodi febribus cucumerum succum ex-pressum exhibuit celeberrimus quondam Practicus Halensis, b. D. D. *Allion.*

§. XI.

Quibus aci-da condu-cunt.

Sicuti itaque ex dictis acidorum noxa & salubri-tas abunde patent: sic facilimum erit iudicare, quan-do & quibus sub circumstantiis sanitati conseruandae inserviant, & quando eadem evitare oporteat. Se-quentia itaque ex antea demonstratis colligimus Co-rollaria: I) *Infantibus, lacte materno adbuc viventi-bus*

bus, acida non conducunt. Lac enim, quo aluntur, sponte sua acescit, & plurimi infantum morbi a lacte coagulato acidoque inde genito originem trahunt. Tanta inde saepius abdominalis oritur intumescentia, a flatibus exitum non inuenientibus producta, inde etiam molestae illae cardialgiae, singultus, ructus, borborygmi, intestinorum dolores & spasmi grauiores, nonnunquam ad convulsiones usque aucti, dependent. Ipso interdum odore, quem acidum spargunt excrementa, acidi in primis viis se prodit abundantia. II) *Infantibus, qui lacte non amplius nutriuntur, acida non prorsus deneganda esse existimamus*, quoniam & sitim restinguunt, & appetitum excitant, illisque adsuescendum est. Insignem praeterea exserunt efficaciam, humores a putredinosa corruptione praeferuando, qualem non ultimam esse variolarum & morbillorum causam, non sine ratione conicimus. Adparet hoc vel exinde, quod in his morbis nihil magis noceat, quam imprudens medicamentorum alcalinorum usus, cum acida prudenter exhibita, communie illud generis humani flagellum, variolas morbillosque, & auertendo & mitius reddendo, multum valeant. III) *In iuvenili aetate largior esse potest acidorum usus*, tam ad motuum exacerbationem contemperandam, quam ad sanguinem reliquosque humores a putredine conseruandos, ad quam nullus humor magis inclinat, quam sanguis sanissimorum iuvenum. Si enim dicendum quod res est, in iuvenili aetate vix aliquis agrotat, nisi ab excessu motuum, paucos affetus si excepere, vt chlorosin & malum hypochondriacum, in quibus cum manifeste adsint acidae acri-

moniae signa, consultius est ab acidis cibis potibusque abstinere & alcalina adhibere medicamenta, quorum usum & ratio suadet, & salutarem esse multiplex comprobat experientia. IV) *In profectiore & senili aetate paululum circumcidendus est acidorum usus*, eoque magis, quo magis motus decrescere incipiunt, neque sanguis facile exaestuat, neque adeo pronus est in corruptionem. Ad temperamenta diuersa hominum quod attinet, acida conueniunt cholericis & sanguineis, minus vero proficia esse videntur melancholicis & phlegmaticis subiectis, quorum sanguis & lenitus mouetur, & vel terrestribus, vel mucidis particulis abundans, plerumque iusto spissior est. Excipio melancholicos homines, qui Veteribus ita dictam atram bilem nimio aestu & motu commouerunt; in his enim acida sanguini, in alcalescentem indolem ruenti, praefentissimum afferunt auxilium. Notatu dignum huius rei exemplum in Commentariis Illustr. BOERHAAVII occurrere memini, de homine melancholico, qui aestiu tempore iter pedibus fecerat, auraria, non paupertate coactus, quique certo certius atra bile commota periisset, nisi malis aurantiis vitam seruasset.

§. XII.

*Respondetur
ad obiectio-
nes.*

Supereft, ut ad obiectiones respondeamus, quarum prima est & maxime solemnis, *acida humoribus coagulum inferre*, eoque sanitatem perdi, quae pendeat ab humorum fluxilitate. Breuiter respondeo, falsum esse utrumque. Concedo enim, sanguinem ab acido immediate ipſi admixto coagulari, prae-

praecipue si fuerit fortius aliquod acidum ex regno minerali; sed nego hoc de acidis vegetabilium, praecipue fermentatione paratis, & pernego, si cum cibo potuque adsumantur. Dicam quibus rationibus permotus hoc statuam. Primo enim acida vegetabilium tantam coagulandi vim non possidere, ac acida ex regno minerali deprompta, certissima experimentorum fide corroborari & demonstrari potest. Noui quidem, Medicorum facile principem, BOERHAAVIVM, existimare, acerum vini sanguinis non solum non augere densitatem, sed etiam fluidiorem eundem reddere; sed accuriori fortasse & meliori termino usus fuisset, si acetum non coagulare quidem, leuiter tamen cogere paululumque condensare, atque sic effrenes eius motus nimiamque efferuescentiam lenissima actione compescere, dixisset. Secundo magnam coagulantis virtutis partem perdunt acida, si cum sanguina, muco oris, liquore oesophagi, gastrico, intestinali, succo pancreatico & bile miscentur. Hi enim liquores, quoad maximam partem aquosi, acidum diluendo nimiam eius efficaciam refraenant, & bilis, sua natura ad alcalinam indolem & resolutionem inclinans, acido fortiter resistet. Sole ergo meridiano clarus inde adparet, tales liquores, ad sanguinem delatos, adeo debilitatos & immutatos existere, ut metuenda non sit nimia eiusdem ab acidis condensatio, ne dicam fortius quoddam & nociturnum eius coagulum. Ad alterum momentum quod attinet, turpissimo errore delusi olim Medici crediderunt, sanguinem non posse esse nimis fluidum, omnemque pendere a sanguinis fluiditate

ditate corporis sanitatem vitaeaequae conseruationem. Contrarium testantur tot periculosi affectus, a nimia sanguinis fluiditate pendentes, cum errore loci vasa non sanguinea ingrediatur & sic obstrukiones, inflammations & haemorrhagias periculosisimas excitet sanguis nimia peccans fluiditate (*). Sub ipso summae corruptionis gradu sanguis deprehenditur fluidissimus, quod observationes DIEMER-BROEKII manifeste comprobant, qui in peste sanguinem fluidissimum deprehendit, & periculosas inde ortas fuisse haemorrhagias commemorat. Vanus quoque metus est, acidorum usum acrimoniae acidae in humoribus effectus esse producturum. Hoc enim de solo abusu dici potest, & facile praecavetur, si modo ipsum naturae monitum sequamur & ab acidis abstineamus, si ardorem in ventriculo, ab iisdem excitatum, perfentiscimus, neque spontaneo ad talia ingerenda irritamur adpetitu. Sicuti enim omne nimium in vitium vertitur, sic hoc quoque de nimio acidorum usu valere, quilibet facile cognoscet. Podagra aliqua complures morbi a vinorum acidorum nimio usu saepius prognati deprehensi sunt, quamvis acidam acrimoniam non unicam dixerim & solam morbi podagrī caussam.

§. XIII.

De sale me-
dio. Ab acidis ad *salīa* accedimus *salīa*. Sal illud, quod *medium* & *culinare* vocant, ex acido & alcalino componi principio, experimenta Chymicorum adeo

(*) Confer. Dissertat. Illustr. Dn. PRAESIDIS, de nimia sanguinis fluiditate morbisque inde oriundis.

adeo clare demonstrant, ut nefas sit de hac vtriusque salis coniunctione ambigere vel dubitare, ne dicam illam negare. Qui enim artis spagyricae fundamenta vel primis, vt aiunt, labris attigit, is nouit, oleo vitrioli sali marino vel culinari adfuso, acidos statim prodire fumos, & destillationis ope parari spiritum acidissimum, quem *salis spiritum* appellant, relieto in retorta sale medio, ex coniunctione acidi vitrioli cum terra alcalina enato, quod *sal mirabile Glauberi* vocamus. Medium hoc sal est, miris tamen proprietatibus ab aliis salibus mediis distinguitur, quarum non ultima est, quod, probe ad ignem exsiccatum atque deinde cum aqua, vino, aceto, vel cereuisia commixtum, fluida breui coagulet, siue potius ita imbibat, ut solidi naturam induxisse videantur, quod vel inde clarissime adparet, dum denuo igne colliquatum pristinam exhibet fluidi quantitatem.

§. XIV.

De sale communi acturus, breuiter antea exproprietates nam eius proprietates & characteres, quibus medianis tibus cognoscitur & ab aliis salibus distinguitur, quos experimta Chemiae docuit doctores. I) Sal commune crystallos cubicas format, in fundo plerumque scutellarum instar cauas & profundas adparentes, quamquam in marino perfecte cubicas videre liceat. II) Aquae poros copiose & facile subit, ita vt aquae libra vna sex vncias salis capiat, adeoque tres octauas partes & paulo amplius. Sic falsugo saturissima, quae Halae Suevorum ad decoquendum sumitur, in quinque

que vnciis accurate habet vnciam vnam salis. III) Carbonibus ignitis inieatum crepitat magnumque excitat vaporem, qui ipsos carbones magis viuide succendit, siue ferrum superponas, ipsi instar fariniae albae adhaerescit. IV) Acidum spiritum praebet, qui cum sale alcalino saturatus reddit ipsissimum sal commune. V) Aquam fortem auro soluendo aptram reddit. VI) Cum vrinosis volatilem ammoniacalem naturam induit. VII) Lunae solutioni ad praecipitandum adhibitum, illam volatilem ex parte reddit. VIII) In crucibulo non magno igne fluit.

§. XV.

*Diversitas
buius salis.*

triplices sal medium agnoscit natales, illud puta, quod mensis adhibetur. Datur enim *fossile*, in multis Europae locis, ut praecipue in *Polonia, Hungaria, Transylvania, Russia, &c.* occursens; in Europae & Asiae locis aliquibus ex *marina aqua* ad feruentem solem cogitur. Aliis locis natura fontes dedit, ex quibus coquendo paratur; quae felicitas hinc vrbi & toti Ducatu *Magdeburgico* largissime concessa est. De variis hisce salculinare parandi modis legi praecipue merentur Illustr. b. m. H O F E M A N N V S von den Salz-Wesen, Eduardi B R O W N E Reise - Beschreibung durch Ungarn, & AGRICOLA de re metallica. In sale marino ipsoque sale gemmae conspicuum est, quod crystalli sint cubicae aut parallelepipedae, quae, quando igne funduntur, ab inuicem secedunt, non autem in lamellas parallelas, sed triangulares. Sal gemmae &

mari-

marinum solutum crystallisantur pari ratione, teste *Martino LISTERO*, qui curiosissime in haec inquisuit. Sed sal nostrum culinare, in sufficiente quantitate aquae solutum, si deinde pars humiditatis lente exhalat, in superiori regione crustam instar glaciei adponit, quae exsiccata & microscopio visa ex meris cubulis constat. In fundo autem vitri concrescent crystalli minutae quadratae longae, quibus tamen intermixtae sunt perfecte cubicae. Paulo aliter se gerit sal Sueicum Halense, quod crustam tales in superficie non adponit, sed crystallos cubicas, instar scapharum natantes, quae ubi concreverint, tandem ad fundum descendunt. Habent autem hoc singulare, quod in superiori parte instar scutellae quadratae profunditatem aliquam habeant. Notatu quoque dignum videtur, quod sal commune, quamvis in aqua solutum & in minutissimas disceptum particulas, cubicam semper figuram refineat, obseruatam a *LEWENHOEKIO* & distincte videndam ope microscopii solaris.

§. XVI.

Non opinor mere curiosam esse hanc huius figure considerationem, sed viam parare ad actionem salis medii in corpus humanum mechanice explicandam. Nullus enim dubito, mitiorem fore eius operationem, si particulae non adeo acutam & angularem naestae fuissent figuram. Quamuis enim ambabus largiar, vires corporis per figuram neque augeri, neque minui posse, utpote quod potius a celeritate expeditandum; certum tamen est, respectiue maiorem vocari posse hanc vim, si corpus aliquod acutum est, quam si tali figura praeditum non est. Omnis enim

*Mechanica
huius salis
actio.*

D

tunc

tunc corporis vis vnico adPLICatur puncto, quae per multo latiorem superficiem fuisse dispersa, si corpus planiorem superficiem habuisset. Firmiter his rationibus permotus credo, pendere a salium figura glutinum, non alia facile ratione explicabilem. Pendet quoque inde eius sanguinem fluidorem fibrasque rigidiores reddendi facultas. Si enim cum fluidis circumfertur, fieri non potest, quin eius particulae continuo circa axin reuoluantur, siveque sanguinis particulas discindendo ipsum cruentum reddant fluidorem subtiliorremque. Inter fibrarum elementa constitutae tales salinae particulae, numerum punctorum contactus augendo, qui nullibi maior est, quam in particulis cubicis, ipsam fortiorum efficiunt elementorum cohaesione. Experientia optime cum demonstratis conspirat. Videamus igitur, quid illa de salis medii in humanum corpus actione docuerit, ut eo melius deinceps de eius recto ad sanitatem vsu iudicare & abusum omnem praescindere possimus.

§. XVII.

*Salis medii
actio in pri-
mis viis.*

Prima salis communis proprietas, qua se nobis insigniter commendat, est illa, quod prostratum adpetitum ciborum mirifice excitet. In ventriculum enim delatae cubicae eius particulae & solutae, a fibris ventriculi attrahuntur atque sic fibrillas nerueas stimulando sensationem producunt, quam *famis* nomine insigrire consueuimus. Quando ventriculus viscido mucō repletus est, qui & adpetitum prosternit & concoctionem debilitat, sal nostrum medicamenti digestui locum supplere optimo iure potest, mucum hunc incidendendo, attenuando & aptiorem reddendo, qui ab aquosis humoribus soluatur. Concedimus quidem, tam de acido,

acido, quam de medio sale, in primis vero de ultimo, & si cum aqua tepida adsumatur, quod muco inuolutum atque commixtum interdum nauseam, ipsumque summae nauseae effectum, vomitum, prouocet. Laudanda vero potius talis excretio videtur, quam reprehendenda, cum sub lenissima emesi ipse tenacissimus ventriculo molestus mucus simul excernatur.

§. XVIII.

In intestinis sal medium pari ratione mucum & *Alvum aper-tum* viscidos tenaces humores resoluit, fibras irritando motum peristalticum auget, maiorem liquidorum ad intestina affluxum excitat, orificia vasorum lacteorum aperta seruat, atque sic digestionem chylique in vasa lactea ingressum adiuvat ac promouet. Prono inde aliueo fluit, quod maiori quantitate adsumptum excretionem aluinam promouere debeat, atque hac ratione purgante scopo adhiberi utiliter possit. Patet id exemplo salis Epsoniensis & fontium mineralium, quorum usum excipere solet larga plerumque aluina excretio, neque id aliam ob causam, quam quod multum salis communis contineat. Salis coctores Halenses hoc bene norunt, siquidem quando ipsis ventriculus a cruditatibus grauatur & adpetitus prostratum sentiunt, communiter salsuginis portionem quandam adsumere solent, a cuius usu alvus ipsis exoneratur & breui pristina reddit sauitas. Mitius remedii genus in tali casu, ubi digestio & adpetitus deficiunt, atque alvus nimis est tarda, halecis comedio, vel ciborum largius conditorum adsumtio, sistit. Vix enim certius datur remedium ad primarum viarum vitia, a lento viscidoque muco nata, corrigenda, sale culinari. Verum itaque adpellari meretur

D 2

medi-

medicamentum digestivum, quare etiam iure meritoque media salia pulueres a Medicis digestiuos dictos ingrediuntur. Ob stimulantem, quam possident, virtutem, clysteribus quoque adiiciuntur, quod, si larga quantitate factum est, satis potenter alvum expurgant.

§. XIX.

*Plures eius
utilitates.*

Nimis angustis salis nostri operationem limitibus circumscriberem, si in solum ventriculum & intestina illud agere affirmare velle. Ipsa potius vasa lactea ingreditur & obstructions, quae in glandulis meseraicis nasci incipiunt, incidente sua virtute resoluit. In sanguinem delatum eandem actionem continuat, viscidam, mucida, lenta & quae circulationi in minimis vasis obicem ponunt, diuidit, resoluit, attenuat, sanguinemque fluidiorem & circulationi aptiorem reddit. Fibras leniter stimulando motus vitales efficit viuifores & secretiones fluidorum insigniter promouet, donec tandem vel per sudorem, vel per vrinam excernatur, quod falsus vtriusque sapor satis abunde comprobat. Vrinae excretionem, praecipue si acidum ipsi nuptum fuerit, egregie promouet. Inter supra laudatas enim acidi virtutes non ultima est, quod vrinae stimulum ad excernendum addat & diuresin promoueat. Patet exinde, quantum moderatus salis mediis usus ad sanitatis conseruationem conferat. Adpetitum enim integrum, digestionem illaefam, excretiones denique saluas conservare, viuidosque fibrarum motus excitare, non ultimum certe est sanitatis praesidium. Ridendos igitur existimamus illos, qui in omnibus fere morbis salsa & acida venenorū instar fugienda esse autumant, vano inducti metu, ne motus nimium excitentur, quamvis magna

magna cum fiducia spirituosis vtantur medicamentis,
motus multo vehementiores excitantibus, ipsaque,
quod mireris, salia media inter pulueres praescribant,
illorumque continuatum usum commendent.

§. XX.

Nihil adeo utile & salutare est, quod peruerso ni-
mioque usu nocere non possit. Ipsa enim medicamen-
ta nomine hoc indigna forent, nisi ita comparata essent,
vt sinstro usu noxam inferrent & in venena conuer-
terentur. Mirum itaque non est, idem de salis medii
abusu valere. Non unica ratione eius abusus sanitati
redditur periculosus. Ad salem enim marinum
quod attinet, non purus est, sed corruptus, & qui tum
carnes salit, ipse ineptus factus est; magna enim est su-
spicio impuritatum huic sali admixtarum, ipsa putre-
factis tot tantoque tempore in mari piscibus conciliata-
rum. Quare consultius exstimatorum, cibis, ubi haberi
potest, admiscere sal fontanum vel fossile, quod ultim-
um & puritate & acrimonia reliqua fere semper su-
perat. Quocunque vero etiam fuerit medium sal, se-
rum in primis adficit & reliquos humores aquosos; in
aqua enim facilime, in oleo difficilime soluitur. Vbi-
cunque igitur aquosum abundat & humores magis
condensatione, quam attenuatione egent, improbandus
erit salitorum usus. Sal enim sanguinem resolut, non
coagulat, adeoque bonam & naturalem sanguinis cra-
fin diluit. In hominibus, qui diu cibis abstinuerunt, vel
quorum humores ad corruptionem proni sunt, nimia
magis peccat sanguis fluiditate, quam spissitudine; ab-
stinendum igitur talibus erit a nimio salitorum usu.
Idem valere de hominibus scorbuticis, & quorum cor-

*Morbis a salis
abusu.*

D 3 pora

pora salibus scatent, vel me non monente patet. Nascitur namque dirus Icorbuti morbus a salis medii in humoribus abundantia. Classiarii enim, referente BOER-HAAVIO, hordeo fere solo & piscibus salfis viventes, aëremque marinum salsum spirantes, facilime in hunc morbum incurront. Ab hac diaeta in diuturnis itineribus immobiles fiunt, fere uti cadauera, & noctes diesque in lecto decumbere coguntur prae crudelitate dolorum, ginguaeque miseri spirantibus putrescunt & dentes excidunt. Quam primum ad insulam adpellunt, tunc, qui sani sunt, aegros sodales in asseribus in terram efferunt & fructus colligunt acidos, acetosam atque virentes herbas, inde iuicula parant, ea condunt succo limonum, hoc solo victu aegri intra tres aut quatuor dies sanantur viresque recuperant, certissimo indicio, salis medii noxas per acidum corrigi posse, adeoque non inepto consilio vtrumque simul mensis adhiberi.

§. XXI.

*Plures morbi
a sale.*

Ad noxas pariter ac utilitates salis culinaris referri mereatur, quod nutritionem impedit. Humor enim nutritioni aptus, blandus esse debet, neque oculo instillatus dolorem excitare. Obesia igitur, & qui nimia humorum abundantia vexantur, merito salsos cibos commendamus, ad praescindendam nimiam corporis nutritionem. Diffundendum contra salis vsum existimamus iis, qui parcus nutruntur & quorum sanguis nimio agitatur motu. Probe quidem novi, sub orgaticis sanguinis commotionibus felici cum successu a Medicis adhiberi nitrum, quod ad salia media pertinere, neminem existimo fore, qui dubitet; sed singularis illa, quæ nitro ineft, refrigerandi potentia, tanto gradu in sale culinari non deprehenditur, quod potius fibras stimulando, motus auget, tantum abeft, vt dici possit, quod illos imminuat.

§. XXII.

§. XXII.

Non in fluidas solum, sed etiam in solidas corporis partes sal nostrum vires suas exserit, eius enim abusus fibras rigidas reddit & ineptas motibus perficiendis. Praeclarum huius rei exemplum fuit in Leydensi puella, quod in Actis Regiae Societatis Anglicanae legitur & a BOERHAAVIO, in notis ab Ill. Hali-
tero editis, refertur. Haec puella pica quadam laboraverat, & salem assiduo vorabat integris manipulis, neque unquam absque peno salis in pera erat; factum inde est, ut viua & spirans in statuam inflexilem obrigerit. Hoc sane certum est, conditas carnes rigidissimas fieri, vt vix dentibus subigas, & nimia copia salis addita omnino inutiles reddi; sal enim cum carnibus in lapideam fere naturam abit.

§. XXIII.

Quae de salis culinaris, quo nomine etiam marinum comprehendendo, efficacia dixi, valent etiam de aliis irritamentis gulae, quo refero garum illud Romanorum & Caiaro Russorum, quae vim suam fere a sale marino habent. Omnia denique hactenus exposita qui accuratius perpendit, facile concedet, multiplices esse acidi & medii, ad conferuandam sanitatem, usus, atque haec condimenta merito inter summas non solum gulae delicias, sed maxima etiam sanitatis praesidia iure meritoque referri. Quare versiculum bellico sermone adeo tritum

Conclusio.

Zout en Zuur
Krenkt de Natuur;

merito sic inverttere licebit:

Zuur en Zout
De Natuur behoeft,

T A N T V M .


NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
CANDIDATO

S. P. D.

I. G. KRÜGER.

Disputaturo *TIBI* publice gratulandum esse putau, non
otii abundantia, nulla enim re magis careo, sed
amoris erga *TE* mei, a *TE* ita culti, ut quae in aliis
voluntatis fuerit, illius significatio in *TE* certe offici
esse videatur. Etsi enim nec mean in *TE* voluntatem obscuram
aut dubiam esse arbitrabar, nec industriam *TVAM* in litteris colloca-
tam & tirocinia in Hippocratica arte laudabiliter posita meo indigere
testimonio, committendum tamen esse non putau, ut laetissimo hoc tem-
pore *TVO*, quo summis in arte salutari honoribus condecoratus in
cathedram medicam admodum honorifice prodis, mea desideraretur
animi significatio. Placet, ingenuus fateor, dissertationis inauguralis
argumentum, qua demonstras, Medicos non raro pharisaos imitari,
quorum morem eleganter & aesthetice (sit venia verbo, in verbis
enim sumus faciles,) expressit Servator, & summus christianorum
fidelium Medicus, Christus, dicens: *Die Nüden saugen
und Kameele verschlucken.* Sed non solo, quod tra-
sti, arguento delector, voluntatem quoque *TVAM* ex publica
oppositione mihi demandata intellexi. Felicem *TIBI* dissertatio-
nis & faustam defensionem non tam opto & voveo, sed auguro
& plane praevideo. Refelles enim sine dubio falsas opponenti-
um obiectiones falsis responsibus, & acidis *TVIS* argumentis
appetitum auditorum excitabis, non taedium. Unicum est quod
TE rogo, ut me amare pergas quam diu acidos falsosque ama-
bis & cum fructu ac euphoria commendabis cibos. Vale.

Dabam
in Fridericiana d. 24. Iul.
1750.



00 4 6468



R

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres
Inches



14

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE

ACIDI ET SALSI VSV DIAETETICO

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOS. NATVRAL. PROFESS. PVBL. ORDIN.
IMPERIAL. ACADEM. NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PATRONO AC PRAECEPTORE PIE COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. XXV. IVLII. A. S. R. MDCC L.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS FEIST,

BLEICHERODA - HOHENSTEINENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.